

2
33.590.
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE

IVDICIO EX SAN-
GVINE PER VENÆSECTIO-
NEM EMISSO

QVAM

PROPTIO NVMINE DIVINO

PRAESIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO

ORDINIS MEDICI SENIORE ET h. t. DECANO

PRO DOCTORIS GRADV


RITE AC SOLENNITER OBTINENDO

Ad d. Aprilis A. R. S. MDCCXXVII.

PVBLICÆ DOCTORVM DISQVISIONI SVBMITTET

IOANNES GOTTLIEB TÜRCKE,

HALENSIS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis, IO. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

DISECTATIO INVAOLVABILIS MEDICA

IVDICIO EX SAN
GVINE PER VENASSECTIO
NEM EMISSO

QVAM

PROBITIO NYMINE-DIVINO

BRASSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNNO

ORDINIS MEDICI SENJORE ET P. L. DECANO

PRO DOCTORIS GRADU

RITE AC SOLEMNITER OBTINENDO

ANNO MDCCLXXIII

PUBLICA DOCTORVM DISCVSSIONE SVBMITTIT

IOANNES GOTTLIEB TARCKA

HALLERT

INVIOLABILIS HUIUS SENSUS IN SANCTISSIMO SACRAMENTO

UNI DE MAGISTRALIBUS

THEO. ID. CHRISTIANI HILLIGER, ALEX. THEO.



VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET
CONSULTISSIMO

D O M I N O

JO. FRANCISCO
BERNDES,

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BO-
RVSSIAE REGI AB INTIMIS, REGIMINIS, RERVM BEL-
LICARUM REDITVVMQVE IN DVCATV MAG-
DEBVRGENSI REGALIVM CON-
SILIIS,

DIRECTORI SCABINATVS HALENSIS NEC NON
VTRIVSQVE IBIDEM IVDICII ET SALINA-
RVM PRÆFACTO

DOMINO AC PATRONO SVO

OMNI OBSERVANTIA COLENDO

FELICITATEM!

117
VIR ILLVSTRIS, EXCELLENTIS-
SIME ET CONSVLTISSIME,

DOMINE AC PATRONE OBSER-
VANTISSIMO CVLTV DEVE-
NERANDE.



Quin & justum est, ut quos
virtus, eruditio, rerum ge-
rendarum peritia ac merito-
rum amplitudo Principibus
reddidit caros & ad summas
in republica dignitates evexit, quisque &
colat & veneretur; tanto magis is, qui red-
undantia inde in patriæ salutem bona tan-
quam sua reputat & sibi quoque obtingere
gratus experitur. Quamobrem graves u-
tique mihi suppetunt causæ, quibus permo-
veor, TE VIR ILLVSTRIS, observantissi-
mo prosequi cultu, qui omnibus his cumu-
late instructus dotibus, non solum jam pri-
dem in potentissimi Borussiæ Regis grati-
am admissus & amplissimis præfectus es mu-
neri-

592
neribus, sed etiam concreditam dexteritati at-
que directioni TVÆ publicam patriæ meæ,
Halensis civitatis, salutem, huc usque cura tu-
tus es summa, Et certe tacito dudum jam pe-
ctore impensam hanc erga TE venerationem
continui, commodam vovens occasionem,
qua TIBI, EXCELLENTISSIME VIR,
eandem testatam facere, simulque aditum
ad gravissimum TVVM patrociniū mi-
hi parare possem: sed ipsum hoc deditis-
simi animi desiderium non prius quam aca-
demica studia finem attigit, quo demum voti
compos factus mihi videor, copiam nactus,
TIBI, PATRONE OBSEQUIOSE CO-
LENDE, inaugurale specimen modeste of-
ferendi; cuius quidem non ea dignitas, ut ad
splendorem ac merita TVA accedat, eo ma-
ior autem eoque impensior, quo TIBI con-
secro affectus, Hunc itaque VIR ILLV-
STRIS contemplare & diducta fronte in
summæ observantiæ testimonium hoc, oble-
quiose rogo, suscipe schedium, ac patrociniū
TVO

502
TVO benevole dignare me, qui haud exiguam felicitatis meæ partem in eo repositam esse plane confido. Ego sane omnia propensæ TVÆ in me voluntatis munera quæsitissimis semper prosequar studiis & per omnem ætatis flexum gratus exosculabor, Summum Numen supplex implorans, velit TE, VIR EXCELLENTISSIME, unacum SPLENDIDISSIMA FAMILIA, diutissime salvum præstare atque incolumem omniq; felicitatis genere uberrime cumulare, quo sapientissimis consiliis & auspicata tot arduorum munerum administratione illustriorem indies Augustissimi Regis gratiam mereri publicamque & tueri & augere possis salutem, quæ summa votorum TIBI

VIR ILLVSTRIS EXCELLENTISSIME ET CONSVLTISSIME

*Scribeb. Hala Saxon. Idib. Aprilis,
Anni 1615 CCXXVII.*

omni observantia deditissimi cultoris
J. G. TÜRCKE,



Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
IVDICIO EX SANGVINE PER
VENÆSECTIONEM EMISSO

PROOEMIUM.



Vix ulla datur disciplina,
quæ prædictionibus, prænotio-
nibus & prognosi, ratione va-
letudinis secundæ & adversæ,
vitæ & mortis, morborum sa-
lutaris, vel tristis eventus, adeo
ninitur, & quæ etiam, si quis fe-
lices in ea fecit progressus, se tantopere com-
mendare valet, quam ipsa medica. Tota hæc ars
versatur in continuo iudicandi actu, seu iudicium
proferendi serie, sive in statu sano, sive in ægrotò,
sive restituendo, homo sit constitutus, & quo ma-
iori

iori recte iudicandi & prædicendi facultate, siue iudicio, pollet Medicus, eo maiorem apud vulgus & doctos invenit & obtinet famam, existimationem atque auctoritatem; & contra etiam, si in iudicando nimis præceps est atque fallitur, optimus alias, non parum lædit suam fidem, fiduciam atque existimationem. Perquam notum atque vulgatum est, ex consideratione habitus corporis eiusque partium externarum structura ac dispositione, ex ipsius, ingenii & animi viribus atque affectibus, ex arteriarum pulsu ac motu sanguinis, ex ingestorum natura & qualitatibus, ex urinæ, sudoris & alvi excrementis, in feminis ex mensium, vel etiam in viris hæmorrhoidum fluxu, multa ac varia a Medico prædici, ad quos scilicet morbos quis inclinet vel dispositus sit? an imbecillem vel robustam habeat naturam? quæ ipsi salubria vel insalubria sint? qualis victus, diætæ vel vivendi ratio conveniat? quæ ad vitam sanam & longam ducendam utilia sint? Iam quidem multa de eiusmodi prædictionibus in libris Medicorum, tam veterum, quam recentiorum, in semioticis observata ac præcepta memoriæ prodita passim reperiuntur, sed plane confusa, vel exigui momenti sunt, quæ de sanguine humano e vena emisso, siue in statu sano, siue morbofo, vulgo in scriptis medicis iudicia comprehenduntur, quum tamen sanguis sit ille princeps humor vitalis, omnium reliquorum radix & fundamentum, quo nullum animal vivum perfectum carere potest, in cuius iugi atque in circulum abeunte motu per corporis tubulos, integritas omni-

594

omnium, tam animi, quam corporis functionum, unice consistit, qui etiam veteribus animæ domicilium habetur & in quo secundum HIPPOCRATEM *libr. de flat.* prudentia hominis consistit, ita ut pro diverso sanguinis statu, homo sapiens, vel insipidus sit. Deinde quoque ex pathologicis evidentissimum est, nullum morbum, nullam læsionem actionum in corpore humano contingere, ubi non sanguis, vel quantitate, vel temperie, sive mixtione & crasi, sive ipso motu, peccet. Neque etiam vulgo obscurum est, quod sanguis ad vitam & sanitatem plurimum conferrat, unde est quod nullus facile reperiatur homo, qui non vel a Medico, vel a Chirurgo, de sanguine e vena emisso petat & requirat iudicium, an ille sanus vel morbidus sit habendus? Ego itaque non inutilem operam me collocaturum iudicavi, si speciminis inauguralis loco utilissimum hoc argumentum, *de iudicio ex sanguine per venesectionem emisso recte ferendo*, paulo penitius excuterem. Fateor quidem tractationem hanc non adeo esse facilem & expeditam, ut vulgo putatur, sed variis dubiis & difficultatibus involutam, eo quod is, qui cum utilitate & ratione recte hoc negotium conficere vult, non modo physica experimentalis & chymica scientia instructus esse, sed & multiplicem & longam experientiam in pathologicis & therapeutis ipsaque etiam praxi clinica possidere debet; faciam tamen periculum, & in genere quam sententiam ductu D. D. PRÆSIDIS circa hanc materiam foveam, proferre volo. DEVS gratia sua benignissime huic adlit conamini!

A 3 §. I.

§. I.

ANte vero quam paullo propius specialio-
rem huius argumenti tractationem ordiar, non
incongruum fore iudico, si brevibus in san-
guinis humani naturam, mixtionem atque
proprietas, qualis nempe in statu sano fit & esse
debeat? inquiram. Sanguis itaque nil aliud est quam
humor gelatiniformis, coloris purpurei, probe tem-
peratus, satis fluidus & ad motum progressivum su-
stinendum aptissimus, mixtus ex diversæ indo-
lis partibus, gravibus nempe & levibus, solidis, sic-
cis & fluidis, imo fluidissimis & subtilissimis, aëreo-
elastis, item fixis insipidis, aqueis, sulphureis, in-
flammabilibus, nec non terreis viscosis & salinis quo-
que tenerioribus, ad naturam alcalinam accedentibus.

§. II.

Proportio solidi ad fluidum secundum experi-
mentum a D. D. PRÆSIDE sæpius institutum, talis
est, ut in quatuor partibus sani potissimum sangui-
nis, sive ex arteriis, sive ex venis per incisionem,
sive per scarificationem cum cucurbitulis ex cute
eliciatur, tres partes fluidæ & una sicca, in pulve-
rem abiens, contineantur, quemadmodum tale
experimentum quam commode institui potest,
modo certa portio sanguinis emissi in patina stannea
fornaci calidæ exponatur, quo liquidi fiat evaporatio.
Deinde sanguis specificè gravior est ipsa aqua, quod
vel ex hoc solo experimento satis innotescit, quan-
do tubulus vitreus sanguine humano totus repletur
& eius orificium pollice obturatur, postea in vas a-
qua plenum immittitur, tunc videmus iucundo spe-
ctacu-

596
Etaculo, pollice remoto, descendere sanguinem ex tubulo in aquam & fundum petere, aquam contra in eius locum ascendere, ita ut totus tubulus vitreus loco sanguinis aqua oppleatur.

§. III.

Diximus autem sanguinem esse naturæ & indolis gelatiniformis, id quod plura etiam testatum faciunt phænomena. Etenim quemadmodum succus gelatinosus calidus est fluidus, in frigore autem spissescit & coit; ita etiam id conspicuum in sanguine humano, qui si laudabilis est & refrigerescit, mox conrescit in gelatinam, ut nullâ gutta ex vase inverso exstillet. Sicuti porro gelatinæ ex ossibus & solidis animantium partibus prolecta, affuso spiritu vini rectificatissimo, vel etiam spiritu forti acido, crassescunt & coagulantur; ita etiam illud ipsum succedit cum sanguine humano. Præterea uti gelatina siccata & aperto igne destillata primo phlegma, deinde oleum subtile, tum oleum crassum cum sale volatili & denique terram fixam nigram, seu caput mortuum largitur atque relinquit; sic etiam eadem phænomena, si cum sanguine humano exsiccato experimentum instituitur, observantur & conspiciuntur. Idem adhuc patet ex eo, quod omnia alimenta, quæ multum gelatinæ, ut carnes, & ex iis per coctionem confecta iuscula, continent, ad sanguinem deficientem denuo ingenerandum sunt aptissima eundemque optime & promte refarciant.

§. IV.

Purpureum vero hæc gelatina in venis animantium induit colorem ob motum progressivum continuum, quo

quo contentæ in ipsius sinu particulæ sulphuræ in motum intestinum calidum perennem & validiorem percipientur & terrestres subtiliores alcalinæ fiunt; eodem modo ac variis experimentis chymicis abunde constat, quod olea destillata, immo spiritus inflammabiles, quando cum sale fortiter calcinato alcalino, præsertim paululum sulphurato, vel sale quodam volatili, in digestionem calidam diutius persistunt, colorem purpureum recipiunt, uti obvium est in balsami sulphuris præparatione, item tincturæ antimonii acris.

§. V.

Est porro etiam sanguis humor, ut asseruimus, fluidus, qui licet solidas varii generis particulas in complexu foveat, subtilissimas & capillares tamen permeare potest tubulos. Hæc ipsius fluiditas pendet ab intima partium terrestrium graviorum cum partibus aqueis levibus commixtione, per motum intestinum attritivum calidum, quo calore intima mixtio perficitur & conservatur. Simulac vero intestinus is cum calore motus cessat & particulæ terrestres sui iuris fiunt, ex liquidi sinu secedunt, coeunt ac subsident, supernatante serosa sola portione, uti conspicuum est in emissio e vena sanguine.

§. VI.

Sic igitur comparata est natura & constitutio sanguinis hominis sani & integri, scienda antequam iudicium ex eo ferendum. De ipso autem iudicio ex sanguinis aspectu promendo, non possumus

mus quin ingenue profiteamur, eandem multis difficultatibus laborare minusque certam esse ac fidam, licet vulgus alia omnia credat & a Medico æque ac Chirurgo ut judicent exquirat. Etenim res nondum inter Medicos contestata & penitus definita est, quinam optimus sanguis habendus? Alii quippe tenuem & floridum, nec non coccinei coloris, præferunt illi, qui mox post extractionem in gelatinam rubram densatur, alii hunc illi, nonnulli etiam illum qui coagulum crassum in fundum ponit, supernatante mediocri feri fluida portione, optimum censent. Deinceps ipse etiam sanguis multum utique discrepat pro ratione ætatis, victus, vitæ generis, temperamenti, anni temporum, ut universalis norma ac perpetua regula, secundum quam sanus & bonæ notæ sanguis dijudicandus, haberi nequeat. Porro corpora quæ optimum aspectu & gelatinosum, nitide rubicundum sanguinem alunt, ut sunt sanguineæ sic dictæ complexionis homines, multis & haud raro gravibus morbis corripiti, non facile peritus quisquam negabit Medicus, multo minus ii, qui sanguinis abundantiam frequentissimam morborum causam censent, dubitabunt.

§. V.

Accedit & hoc, quod per experientiam curiosiorem in comperto sit, sub sanguine, qui aspectu pravus videtur, nihil tamen incommodi percipi; contra ea optimi quoad sensum sanguinem ex ægro & graviter decumbente homine extrahi. Notatu hanc in rem digna sunt quæ prodidit

B

LONI-

LONIVS *obs. II. ephemerid. pag. 91. plurimis*, inquit, *impurus sanguis detractus, quibus mortuis & scdis. partes integræ deprehensæ, aliis purus, quibus viscera & pulmones putres sunt inventi, & formosissimis mulieribus semper fere impurus detrahitur.* Eandem sententiam proficitur Mauritius HOFMANNVS *in instit. diff. VII.* sic scribens: *impurus sanguis sæpe pro puro vitam diutius promovet, & in quibusdam corporibus optimus ad sensum pessimus est.* Nos etiam crebro sanguinem fluidum & nitide rubentis tincturæ scorbuticis & hæticis subtractum vidimus; & contra in sanis & robustis corporibus, densum, glutinosum, nigrum & facile coagulabilem. Westphali qui duriori & falso victu cum pane grossiori fruuntur, sine incommodo, multo magis morbo, sanguinem valde spissum alunt, & qui perfrigeratus haud raro sero instar glutinis concrecente & variegato obductus in patina comparer. Neque minus in apoplecticis, paralyticis, morbis spasmodicis, convulsivis, sæpe optimus ratione coloris & consistentiæ deprehenditur cruor, & quod magis adhuc mirandum, ex arterioli ipso in virulento carcinomate disruptis, sanguinem fluidum optimique rubelli coloris, qui exterius nihil plane vitii habebat, stillare vidimus.

§. VI.

Quæ quum ita sint, fallax utique minusque certum ex solo sanguinis aspectu resultat iudicium. Hinc etiam procul dubio factum, quod antiquissimi artis nostræ antistites HIPPOCRATES & GALLENVS, licet sanguinem vitæ thesaurum esse asserue-

ruerint, parum admodum de signis ex inspectione ejusdem desumendis prodiderint, quum tamen in femioticis, sive edisserendis signis, alias fuerint oppido multi & solliciti. Et sane sanguis, etiamsi vitiosus, quamdiu promte & expedite per corporis meatus movetur, non facile lædit; & optimus contra, si vel stagnat, vel firmiter impactus hæret, aut extra vasa effunditur, non modo morbi, sed & ipsius interitus causa fit. Nam qui morborum & symptomatum genealogiam probe caller, is facile perspicier, eorum originem, non tam a crasi vitiata fluidorum, quam potius a vitio solidorum, vitio loci maxime & motus, esse arcessendam.

§. VII.

Optimæ certæ notæ sanguinis portio, quando vasis elabitur, putrescit & funesta excitat symptomata, in cerebro apoplexiam, febrem, convulsionem epilepticam & lege consensionis vomitum in ventriculo; intra cavitatem thoracis, vel abdominis paullo majori quantitate effusus sanguis, in scædam & lethalem abit putredinem. Si vasis adhuc contentus cruor membranis cerebri firmiter impactus hæret, phrenitidem, in tunicis ventriculi & intestinorum, funestam inflammationem in sphacelum abeuntem ciet, in cordis thalamis & vasis majoribus, ubi congrumatus hæret, syncopen vel subitam mortem producit. In substantia musculorum quum firmam concipit stasim & in motu progressivo sistitur, in sphacelum, sive mortiferam concedit putrilaginem.

§. VIII.

Neque ullum amplius præterire poterit, viscerum a sanguine vel sero infarctum, obstructionem & indurationem, gravissimas chronicas passiones, cachexiam, hydropem, hecticam ingignere, in quibus sæpe sanguis e vena missus vitio carere videtur. Et sicuti venenum datum exigua mole & qui integrum sanguinem habet cito necare valet; ita etiam miasma in peste & aliis contagiosis morbis, vel materia in podagra, arthritide, scabie retropulsa, sævis spasms, citra vitium in sanguine, homines perimit. Quin licet plurimis tempore nostro solenne sit, in affectibus chronicis spasmodicis, qui in viris mali hypochondriaci, in sequiori sexu hysterici nomine veniunt, sanguinis spissitudinem ceu causam accusare, nihilominus tamen sanguinem his morbis affectis e vena consistentia & colore bonum ac laudabilem detrahi, crebriori experientia convincimur. Nam spasmi tam universales, uti sunt febriles, quam certarum partium, gravissimorum symptomatum auctores quidem sunt; rarius tamen a denso & crasso sanguine, sed potius ab ejus copia, nimia expansione, vel etiam subtili in eo latente acrimonia, exsuscitantur.

§. IX.

Quamvis autem ex sanguinis aspectu præsagium admodum fallax & plurimi morbi ex eodem plane non deduci queant; ejus tamen inspectio & paulo curatius examen non plane usu caret, qui vero plus ad præscindendos, quam ad sanandos morbos pertinet. Placuit nobis quam maxime hanc in
rem

rem insignis locus CELSI lib. II. cap. 10. ita differentis: e vena sanguis cum erumpit, colorem ejus habitumque oportet attendere. Nam si is crassus & niger est, vitiosus est, ideoque utiliter effunditur. Si rubet & pellucet, integer est, eaque missi sanguinis adeo non prodest, ut ea noceat, protinusque est supprimendus. Gravis hic auctor sanguinem tenuem & rubentem, integrum, crassum vero & nigrum, vitiosum pronunciat; quod licet non sit perpetuum, magni tamen hoc monitum in administranda venæsectione usus est. Nam quum ejusmodi crassus, niger & mox in coagulum abiens sanguis, ægre admodum per minima & capillaria partium vascula cursum absolvat; facile ibi hæret & obstructions, quæ fœcundæ chronicarum passionum matres sunt, excitat. Vel si quando ejusmodi sanguis, fortiori corporis aut animi commotione, aut intenso frigore, aut etiam propter dolorificas & spasmodicas internarum partium contractiones, vi & impetu quodam in minima vascula, quæ secundum naturam non sanguinem, sed tenuiorem lymphaticum humorem vehunt, truditur, ibi quam facile firmiter impactus hæret, & graves ac funestas inflammationes conciliat. Id quod etiam quotidiana fere docet experientia, dum in pleuritide vera, peripneumonia, semper fere sanguis, cui serum instar glutinis tenax innatat, e vena emittitur. Igitur quam maxime salutare est, talem sanguinem, ubi offenditur, ad pessima mala avertenda detrahere, quo reliquus deinde cruor eo melius subigi, circulari & congruis eum in finem adhibitis alcalinis, vo-



latilibus, diluentibus, aqueis, aquis salubribus, attenuari & subtilisari possit.

§. X.

Interim tamen sanguis nimis tenuis, floridus, coccinei coloris, non semper boni quippiam præfagit, præfertim si sero sit destitutus, & in fundo nullum obscuri coloris coagulum ponat. Nam talis color vel a salibus largiter admixtis alcalinis, in arthriticis & scorbuticis gignitur, vel nimium intestinum calidum motum arguit, ut in lentis & hecticis febribus, vel etiam partium sulphurearum exuberantem copiam, a liberaliori vini & aromatum usu, præfertim in cholericæ constitutionis hominibus, subindicat. Nonnunquam tam tenuis ac floridus sanguis observatur, quando viscera, imprimis sanguinea, crassiore cruore infarcta sunt, quandoque etiam a spasmodicis convulsivis partium internarum motionibus, qualem nos sæpius in ejusmodi spasticis & convulsivis motibus vidimus.

§. XI.

Hac igitur consistentia & colore præditus sanguis, pro diversitate causarum quibus ortum debet, magis vitiosam qualitatem corrigit, ut gelatinosa, mucilaginosa, nutrientia, acrimoniam tenuem salino sulphuream contemperantia, vel etiam acidula, calorem exstinguentia & sedativa, quam evacuationem & imminutionem desiderat. Digna est quæ hic inferatur PAVLLINI observatio in *M.N.C. Dec. II. An. VI. obs. 64.* de juvene febre maligna correpto, cui sanguis e vena missus, valde roseus elegantissimi coloris, sed sero

fero maxime destitutus, subsequente morte. Et D.D. PRAESES saepius annotavit, morus & insultus epilepticos aliosq; spasmodicos morbos, evacuato tali sanguine fuisse exacerbatos. Vnde utique CELSI praecipuum, quod raro, praesertim copiose, ejusmodi sanguis mittendus sit, exquisita nititur veritate.

§. XII.

Porro vitiosus merito is censendus est sanguis, qui sero nimium redundat & exiguam massae rubicundae portionem in complexu fovet, eo quod laesam sanguificationem & parciorem perspirationem, imminutum quoque urinae fluxum prodit, ac utique cachexiam & tumores oedematofos hydropicos minatur. Quando serum intenso flavo colore tinctum est, ut lintheamina inficiat, biliosa recrementa aut minus a sanguinis connubio segregari, aut propter obstructos biliarios ductus a lymphaticis vasis resorberi, indicio est. In scorbuto, scabie, cachexia & mensium suppressione, serum plerumque variegatum, lividum atque caeruleum colorem monstrat, plus minus turbidum vel albicans, aut tunica spissa, lactea, candescente obductum est, & in ipso coagulo subsidente grumi & color niger cum bruno intermixto, comparent.

§. XIII.

Si in lue venerea & scorbuto consummato sanguis emittitur, serum ut plurimum supernatat copiosum, limosum ac turbidum. In febribus ardentibus parum seri dimittit, ac ut saepe spectavimus, color coccineus est, cum magna spuma. In variolis, morbil-

lis,

lis, item acutis & continuis febribus, sanguis fluidissimus comparet, plane non in coagulum concrefcens; eo quod illa vehementi intestina calida motione, omnis gelatinosa substantia absumitur & salinum principium quasi in alcali convertitur, quod omne coagulum areet. Confirmat hoc WEPFERVS in *hist. apoplect. XVI. in schol.* fidem faciens, se sanguinem in cordis ventriculis & vasis majoribus fluidum, nec post obitum grumescentem, in cadaveribus febre continua defunctorum, reperisse.

§. XIV.

Et hæc sunt potiora quæ ex sanguinis aspectu probabili conjectura præfagire licet; quæ tamen ita sunt comparata, ut neutiquam universalia sint, sed pro circumstantiarum & individuorum ratione discrepent. Jam etiam de diversis modis sanguinem humanum examinandi nonnulla adjicienda. Sunt hi varii, & primo quidem is, quo eius gravitas specifica respectu aquæ simplicis exploratur. Perficitur hoc instrumento statico, quo D.D. PRÆSES etiam urinam, lac, falsos & medicatos fontes, ponderare solet. Tum quidem immissa, sanguini oblongo vitro excepto, lance, patet, ejus libram, tantundem aquæ pluvialis, unius & dimidiæ tantum unciaæ pondere, specifica superare gravitate. Alter sanguinem examini subjiciendi modus est, quo proportio solidi & fluidi indagatur; quando nimirum calori exponitur, quo siccescat & in pulverem fatiscat, quo, uti superius meminimus, constat, tres fluidæ substantiæ

tia partes, & unam solidæ, in sanguine sani hominis contineri.

§. XV.

Porro ex usu est, ut si iudicium de sanguine ferendum, portio ejus, sive e vena brachii, sive pedis ducatur, in patinam, & alia in aquam mittatur. Is enim qui in patellam effusus, copiam & coagulum sanguinis ac feri exhibet, simulque affusis variis liquoribus chymicis tentari potest. Tum quippe conspiciere licet, quam promte a spiritu acido, salis nempe & vitrioli, coagulum subeat, qualis consistentia, admixto saturato corticis chinæ decocto eidem inducatur; tum quoque jucundo comparet spectaculo, ab affusis liquoribus alcalinis, fixis & volatilibus, cruorem fluiditatem recipere & rubedinem ejus mirum intendi, quum contra instillata aqua forti, serum lactescente, & cruor gryseo colore inficiatur. Neque minus notatu dignum facilis negotii experimentum, quo nitro in pulverem trito, vel in aqua dissoluto sanguini admixto, cruor congelatus semper fluidior redditur & ater coccineo iterum perfunditur colore, ut merito sit quod miremur, illud assertum, quod in clarissimorum virorum scriptis, qui nitri virtutem in morbis summis concelebrant encomiis, passim obvium est, sanguinem scilicet a nitro inspissari potius & coagulari.

XVI.

Ex illa vero portione quæ in aquam profiliit, variæ sanguinis & feri substantiæ optime cognoscun-

scuntur. Nimirum pars sulphurea, quæ matrix coloris est, aquam rubedine inficit, & hac extinctura, prout magis vel minus saturata est, copia sulphuris aut tenuioris, aut crassioris, recte colligitur; ubi tamen notandum, quod quo diutius aqua sanguinolenta in libero aëre ster, eo magis color austerus ac brunus reddatur. Deinde hac etiam ratione non solum in conspectum veniunt partes nutritiles chylosæ, quæ instar flocculorum fundum petere solent, sed sæpius etiam ingens portio gelatinæ, ut manibus eximi possit, quod nonnunquam D. D. PRÆSES conspexit in plethoricis sanguineæ complexionis, præsertim feminis spongiosi habitus, quibus labor, abstinentia a largiori & lauto cibo, potissimum in cæna, maximo fuit præsidio.

§. XVII.

Neque minus hoc modo commode indagari potest, num sanguis sit fibrosus? hoc est, multis filamentis & quasi fibris carneis refertus, quæ mutuo coeunt & in superficie sparsæ hærent. Talem sæpe vidi in epilepsia, palpitatione cordis & anxia pectoris oppressione laborantibus, & certum polypi, vel præsentis, vel futuri, præbet indicium, Qui ut corrigatur & noxa arceatur, læpius insigni cum emolumento crebriorem usum medicamentorum fontium præsertim Selteranorum, qui purum alcali vehunt, D. D. PRÆSES suasit, interdicens penitus potum frigidum, spirituosum, crassum & acidum, & iungendo potum dilutum largum, cum motu & exercitio corporis.

§. XVIII.

§. XVIII.

Ultimo loco, dum de sanguine educto sermo est, subjungenda adhuc quædam sunt de vulgari illa, sed erronea sententia, ac si sanguis, sub scarificatione per cucurbitulas extractus longe tenuior ac fluxior sit eo, qui e vena brachii vel pedis mittitur. Nos certe sæpius periculum fecimus, & sanguinem scarificando evocatum siccavimus, ac deprehendimus, tres pariter tantum fluidi partes aufugisse & quartam restitasse solidam, modo cautio adhibeatur, ne dum spongia madida sanguis abstergitur & cucurbitulæ eluuntur, aqua cruori admisceatur. Et sane quum unus idemque sanguis per minima & magna vasa feratur, incisus quoque minoribus in cute, idem consistentia & indole, quam qui majoribus, effluat necesse est.

§. XIX.

Ejusdem notæ eademque censura dignus est error, quem Chirurghi, ut titubantis manus delictum velent, de industria sæpe admittunt, dum si vena minus rite pertusa, sanguis non effluit, cruorem crassum, qui incisionem obstruat, audacter, sed perperam, incusant. Quum enim sanguis in corpore jugiter per innumeros exilissimos & capillares tubulos trajiciatur & circuletur, nec ob crassitiem transitus ejus per hos intercipiatur, tantam tum demum ipsius esse spissitudinem, ut foramen scapello in vena factum eundem transmittere nequeat sed ab eodem obstruatur, plane non credibile est. Et licet non inficiandum, a terrore quandoque cutem

in sensibilibus, præsertim pedibus inductam, constringi & fluxum quodammodo sufflaminari posse; longe tamen alia hujus phænomeni ratio est, & remittente strictura, sanguis postea liberaliter manat, operatione autem sinistre administrata, fibris quantumvis laxis, nunquam prodit.

§. XX.

Et hæc de iudicio ex sanguine dixisse sufficiat. Multa quidem adhuc alia ex sanguinis aspectu conjicienda in libris sic dictis practicis & semioticis passim venditantur, quin nonnulli eo evagantur, ut ex sanguinis inspectione tantum omnes morbos cognosci & curandi indicationes inde desumi posse autument: sed quia hæc dogmata ita plerumque sunt comparata, ut veritati & experientiæ minus sint consentanea & fictionem ac speculationem sapiant, non possunt non tædio esse iis, qui in ipsius artis exercitio versantur & longe alia quotidie vident atque experiuntur. Hæc autem hæcenus a nobis prolata, brevia licet & pauca, attenta tamen, multiplici & sincera maxime D. D. PRÆSIDIS, experientia sunt subnixæ, eaque propter omnibus, qui dextre atque perite in ipsius artis operibus versari nituntur, ului esse poterunt
eximio.

F I N I S.

20 De
in senfib
constrin
se; long
remitter
operatio
tumvisl

E
ciat. M
ctu conj
oticis pa
gantur, u
mes mor
desumi p
plerumq
minus fi
nem sapi
ipfius art
vident at
nobis pro
multiplic
experien
dextre

m emisso,
inductam,
aminari pos
ratio est, &
liter manat,
fibris quan

lixisse suffi
guinis aspe
cis & semi
lli eo eva
tum non o
tiones inde
ogmata ita
xperientie
speculatio
is, qui in
ia quotidie
hactenus a
ata tamen,
ESIDIS,
nibus, qui
bus ver-
at

